



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De antiquis beneficiis Dei, 26

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

nunc quia illuminasti me , quoniam quod magis credidi posse per me , minus semper potui. Dicebam enim , hoe faciam , illud perficiam ; nec hoc , nec illud faciebam. Aderat voluntas , non erat facultas ; ad erat facultas , non aderat voluntas : quoniam de meis viribus confidebam,

2. Nunc autem confitebor tibi Domine Deus meus , Pater cæli & terræ , quia non fortitudine sua roborabitur vir , ut glorietur ante te stulta præsumptio omnis carnis. Non enim est hominis , velle quod possit ; aut posse quod velit , vel scire quod velit , & possit : sed potius à te gressus hominis diriguntur , illorum (inquam) qui non à se , sed à te dirigi se confitentur. Obsecramus itaque per viscera misericordiæ tuæ , ut velis Domine salvare quod creasti : quoniam si vis , potes nos salvare : & in tua voluntate virtus est nostræ salutis.

## C A P V T   X X V I .

*De antiquis beneficiis Dei.*

1. R Ecordare misericordiæ tuæ antiquæ , qua nos à principio in benedictionibus tuæ dulcedinis prævenisti. Antequam enim nascerer ego , filius ancillæ tuæ , Domine spes mea ab umeribus matris meæ , tu prævenisti ; præparans mihi semitas , quibus incederem , & venirem ad gloriam domus tuæ. Priusquam me formares in utero , novisti me : & antequam exirem de vulva , quicquid tibi placuit , præordinasti de me. Quæ & qualia sunt in libro tuo scripta de me , in se-  
creto

creto consistorii tui, ego quidem ignoro, unde & valde timeo.

2. Tu vero nosti, quoniam quod ego per successus dierum & temporum hinc ad mille annos hujus temporalitatis expecto, in conspectu æternitatis tuæ jam factum est ; & quod futurum est, jam factum est. Ego autem quia sto in hac nocte tenebrosa hæc ignorans, timor & tremor venerunt super me : dum video mihi undique imminere multa pericula, à multis quoque hostibus venari, multitudineque innumerarum misericordiarum in hac vita me circundari. Et nisi in his tantis malis adforet mihi tuum administrulum, desperarem.

3. Sed spes mihi magna subest de te, misissime Princeps, Deus meus : & consideratio multitudinis miserationum tuarum, quæ apud te sunt, sublevat mentem meam. Et præcedentia signa misericordiæ tuæ, quæ me antequam nascerer, prævenerunt, & nunc specialiter in me effulserunt, de futuris benignitatis tuæ melioribus & perfectioribus muneribus, quæ amicis tuis reservas, spem meam admonent ; ut in te latetur, Domine Deus meus, latititia sancta & viva, qua semper latificas juventutem meam.

### C A P V T   XXVII.

*De Angelis deputatis ad custodiam hominum.*

1. Dilexisti enim me, unice amor meus, antequam diligerem te, & ad imaginem tuam creasti me, omnibus creaturis